



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

2. Scimus quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

aut ea propriè facere existimetur, quæ Scriptura eum facere primo aspectu ait, non occulta esset Dei iustitia, sed manifesta turpitudine, Dei bonitati intrinsecæ sic aduersa, ut tam Deum negare quàm hoc de Deo asserere liceat: quod pulchre ostendit D. Basilius in homilia de hoc argumento. Ita Beza quam impietatem claris verbis asserere non audet, eandem tamen obliquè fouere & tueri non erubescit.

Argumentum Capitis II.

INGREDITUR Apostolus communem accusationem Gentilium, qui iudicabant Iudæos legem suam non seruantes. Deinde & Iudæos de lege non seruata arguit: concludens neque ex lege scripta, nec ex lege naturæ, quempiam iustificari posse sine fide in Christum. Interim veram iustitiam operum à Deo mercedem accipere, & veros factores legis à Deo iustificari, disertissimè docet.

2. *Scimus quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.*

ANte omnia docere Apostolus vult, veram bonorum operum iustitiam à Deo flagitari, quia omnem iniustitiam iusto iudicio punit. Interim valet hic locus contra imputatiuam hereticorū hodie iustitiam, qua

quæ docent, hominibus in statu peccati, & ^{Impunita} perpetuò peccantibus, idque ex rei veritate ^{iustitia} mortaliter peccantibus (quia interveniale & mortale respectu iudicij diuini nullum discrimen ponendum esse affirmat Calvinus) imputari Christi iustitiam per fidem; & peccatores haberi iustos coram Deo. Destruitur quoque ex his verbis eorum imputatiua peccatorum remissio quam ponunt, docentes manere in baptizatis concupiscentiam vt peccatum, sed non imputari. *Iudicium enim Dei secundum veritatem in eos qui male agunt, nec habet pro iustis qui peccatores sunt, nec peccatum quod manet sustulisse dici potest.*

4. *An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Docet hic locus cooperationem liberi ^{Liberi arbitrij cū gratia Dei cooperatio.} arbitrij cum gratia, quam semper negat Calvinus. Paulus enim docet, Gratiam & auxilium conuersionis multis sufficienter offerri quos efficaciter non conuertit, qui ipsi per duritiam cordis sui gratiæ sufficenti, & quæ efficax fieri poterat, liberè resistunt, vt de Iudæis Stephanus dixit, *Vos semper Spiritui Sancto resististis: & ad eisdem Christum, Quoties volui congregare vos sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & nolulistis! Isti secundum auaritiam suam & impœnitens cor thesaurizabant* ^{Mat. 23.}